



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Papirii Massoni Descriptio Flvminvm Galliae, Qva Francia Est

Masson, Jean Papire

Parisiis, 1678

De Mosa & Mosella, aliisque fluviis Mediomatricum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13059

De Mosa & Mosella, aliis-
que fluviis Medioma-
tricum.

MOSA flumen profluit ex Mosā
monte *Vogeso*, qui est in fi- *la Meu-*
nibus *Lingonum*, vt *Cæsar* ait, *se, r.*
progressusque longo cursu inter
Barrensem & *Lotharingiam* pro-
vincias, *Verdunum* urbem Epi-
scopatu ornatam, & Regi Galliæ
obedientem alluit. Deinde *Mose-*
riarum urbem, quæ ad eundem
Regem pertinet, moxque longiore
cursu influit in *Rhenum*. *Sabis* *Sambre,*
nunc *Sambra* amnis erumpit è *Vi- r.*
vario *Osii* vulgo *d'Oisy*, quod ad *Oisy.*
Ducatum *Guyssiæ* pertinet, ac pro-
pe *Namurcum* in *Mosam* labitur.
Profundus est, & margines altos
habet. Hæc *Guilielmus Bellaius*
de *Sabi* nobilis historicus, & *Ande-*
gavensis genere in *Gallia* natus re-
fert. *Mosella* verdè circa fines *Lit-* *La Mo-*
gonum ortus describitur à *Fortu-* *selle, r.*
nato *Episcopo Pictaviensi* ad *Vil-*

274. Pap. Mass. descr. Francie.
MOSEL. licum Episcopum Metensem, in
LA. hunc modum.

Gurgite caeruleo pelagus Mosellare.
laxat,

Et movet ingentes molliter am-
nis aquas.

Lambit odoriferas vernanti grami-
ne ripas,

Et lavat herbarum leniter unda
comas.

Hinc dextra de parte fluit, qua Sa-
lia fertur,

Flumine sed fluctus pauperiore
trahit.

Hic ubi perspicuis Mosellam cur-
sibus intrat,

Alterius vires implet, & ipse
perit.

Hoc Metis fundata loco speciosa co-
ruscans

Piscibus obsessum gaudet utrum-
que latus.

Deliciosus ager ridet, vernantibus
arvis,

Hinc sata culta vides, cernis &
inde rosas.

Prospicis umbroso vestitos palmitum
colles,

Certatur varia fertilitate locus.

per Flumina. 275

Urbs munita nimis, quam cingit mu- MOSEL-
rus & amnis, LA.

Pontificis meritis stas valitura
magis.

Villicus aethereis qui sic benè mi-
litat armis,

Stratus humi genibus te leuat
ille suis.

Sed ante eum Decius Ausonius
in Mosellæ descriptione nihil o-
misit, quod voluptatem aut gra-
tiam habeat, quam idcirco prate-
rimus, quia longa est, & apud eum
authorem reperitur.

Saliam verò versu ad Gogonem. La Sa-
ita complectitur. lie 57.

Sen qui Metas adit de sale nomen
habens.

Salia è Lindo lacu profluit, nec
ad aquandum utilis est, nec lauda-
bilem piscem alit, sed insipidum.
De qua & Joannes Abbas in vita
Gosuidis. Clericus Monasterii ip-
sius vicem officii Ecclesiastici in or-
dine proprio administrans, cui nomen
Fulgebertus erat, fluvium civitati
à parte Orientali contiguum, qui
Sallia dicitur, causa aliqua traji-
cere gestiebat. Tacitus refert Lu-

M. vj.

MOSEL
IA. eium Verum Nerone imperante,
Romanarum legionum in Germa-
nia legatum, Mosellam atque Ara-
rim flumina, facta inter vtrum-
que fossa, parasse connectere,
vt copix per mare, dein Rhodano
& Arari subvectæ per eam fossam,
mox flumine Mosella in Rhenum,
exin Oceanum decurrerent, su-
blatisque itineris difficultatibus na-
vigabilia inter se Occidentis Se-
ptentrionisque littora fierent: cui
operi Gracilem Belgiero legatum
invidisse dicit, ac deterruisse. Ve-
rùm ne legiones alienæ provinciæ
assuescerent studia Galliarum affe-
ctare, formidolosum id Imperatori
dictitans, quo plerumque prohi-
bentur conatus honesti. Tacitus
lib. 13. Vibius Sequester Mosellam
Belgiæ defluere in Rhenum de-
scribit. Ausonius de Treveris ait:
*Largus tranquillo perlabitur amne
Mosella.*

Et Ammianus lib. 16. *Apud Con-
fluentes locum ita cognominatum Mo-
sella confunditur Rheno.* Hæc duo
flumina describuntur à Julio Cæ-
sare, lib. 4. *M. sa,* inquit, *pro-*

fluit ex monte Vogeso qui est in fi-
nibus Lingonum, & parte quadam
Rheni recepta, quæ appellatur Vaba-
lis, insulam efficit Batavorum, ne-
que longius ab eo millibus passuum
octoginta in Oceanum influit. Et hæc
quidem quatuor flumina Mosa,
Mosella, Arar, Matrona, è Voge-
so oriuntur, ac tantum fermè di-
stat fons Matronæ à fonte Mosæ
quantum Arar à Mosella, decem
videlicet leucis. Lector quoque an-
notabit sancti Omerici Montis
Burgum & Ecclesiam sancti illius
in confinio esse Burgundiæ, Fran-
ciæ, vel Lotharingiæ. Præterea
descriptionem Mosæ à Guichardi-
no accuratè factam. Ad Rhenum
venio. *Rhenus* Rethicarum Alpium
inaccessio ac præcipiti vertice or-
tus, modico flexu in occidentem
versus septentrionali Oceano mi-
scetur. Cornelius Tacitus de situ
& moribus Germaniæ. Idem autor
Annalium lib. 20. de eodem fluvi-
o sic ait: *Rhenus in alveo communi
hæc modicas insulas circumveniens
apud principium agri Batavi velut
in duos amnes dividitur, servatque*

MOSSEL-
LAT

S. Ro-
merins

ancie
perante,
Germa-
ue Ara-
vtrum-
nectere,
Chodano
fossam,
henum,
nt, su-
tibus na-
ntis Se-
ent: cui
legatum
lle. Ve-
ovinciæ
um affe-
peratori
e prohi-
Tacitus
osellam
um de-
eris ait:
r. amne
ad Con-
m Mo-
æc duo
lio Cæ-
it, pro-

MÖSEL
LA.

278 Pap. Mass. descr. Francie
nomen & violentiam cursus quæ Ger-
maniam prævehitur, donec Oceano
misceatur, ad Gallicam ripam latior
& placidior diffluens, verso cognomen-
to Vahalem æcolæ dicunt, mox id
quoque vocabulum mutat Mosa flu-
vius, ejusque immenso ore in eundem
Oceanum effundit. Et Annalium lib.
II. de Claudii temporibus loquens:
Corbulo, inquit, ne miles otium
exueret, inter Mosam Rheni trium
& viginti millium spatio fossam per-
duxit qua maria Oceani vitaren-
tur. Ammianus Marcellinus libro
decimo quinto Rhenum describit,
& Pomponius Mela de origine
Rheni: eleganter Guichardinus
in descriptione Flandriæ, & de
ejusdem fluminis fonte Strabo an-
tiquus autor accuratè scribit. Et
Claudianus:

— — sublimis in arctum
Prominet Hercinia confinis Retia
silvæ
Qua se Danubii jactat Rhenique
parentem.

Sed ante hos omnes Cæsar vixit,
à quo pons in Rheno factus est, ut
ipse tradit lib. 4. quem pontem

postea rescidit. Eodem libro vnde MOSELLA
 oriatur sic explicat. *Rhenus oritur* ^{L.A.}
ex Lepontiis, qui Alpes incolunt,
& longo spatio per fines Antuatium
Helvetiorum, Sequanorum, Me-
diomatricum, Trevirorumque citatus
fertur, & ubi Oceano appropinquat,
in plures diffluit partes, multisque
ingentibus insulis effectis, quarum
pars magna à feris barbarisque na-
tionibus incolitur: ex quibus sunt
qui piscibus atque ovibus avium vive-
re existimantur, multisque capitibus
in Oceanum influit.

Gallia olim protendebatur vsque
 ad Rhenum, vnde Ausonius ait:
Et Rhenum Gallia limitis esse loro.

De Treveri Cæsar ait libro sexto:
Hæc civitas longè plurimi totius Gal-
liæ equitatu valet, magnasque ha-
bet copias peditum. Rhenumque,
vt supra demonstravimus, tangit,
sed progressu temporis Gallis di-
ctum est; Veteres migrate Quirites,
cùm lingua hodie & moribus Gal-
liæ Germanis differant.

Arduenna sylvæ est totius Gal-
liæ maxima, atque à ripis Rheni
finibusque Trevirorum ad Ner-

MOSEL
L. A.

280 *Pap. Mass. descr. Francie*
uios pertinet, millibusque am-
plius quingentis in longitudinem
patet. Sylva eadem ingenti ma-
gnitudine per medios fines Treu-
rorum flumine Rheno ad initium
Remorum pertinet. Hi duo loci
de Arduenna ex Julio Casare à
nobis descripti sunt. Ex Epistola
Petarchæ ad Joannem Colum-
nam, quæ est. 4. libri primi de
Rebus familiaribus, ad secundum
Kalend. Iulias, inquit: *Colonia*
discessi, tanto sole ac pulvere, ut
sæpe Alpinas nives, ac frigora Rhe-
ni à Virgilio requirerem. Inde Ar-
duennam sylvam scriptorum testimo-
nio pridem mihi cognitam, sed visu
atram atque horrificam transiui so-
lus, & (quod magis admireris)
belli tempore, sed incautos, ut aiunt,
Deus adiuvat.

Mosellam autem Fortunatus li-
bro decimo Carminum feracem,
& Rhenum spumantem appellat
his versibus:

Tum venio, quæ se duo flumina con-
flua iungunt,
Hinc Rhenus spumans, inde Mos-
sella frax.

Armoricus poeta Philippidos libro ^{MOSAE}
decimo de Lotharingis loquens, de ^{LA.}
his duobus fluminibus:

Quos inter Gallos & Theutonicos spe-
ciosa

Et fecunda magis tellus alit ubere
gleba,

Millibus à Mosa distans, ubi Mo-
sula paucis

Leucos & Mehes speciosis irrigat
undis.

In Chronico Besuensis Monaste-
rii apud Lingones Ornæ fluvii ^{Orne, r.}
mentionem fieri video his verbis:

Anno decimo sexto regni sui Theodo-
ricus movet exercitum, & Lingonis
de universis regni sui provinciis men-
se Maio exercitus adunatur, diri-

gensque per Andelaum, Nasio Ca-
stram super Ornæ fluvium situm, ^{Ande-}
& inde Tullum civitatem perrexit. ^{lan.}
^{Nas.}

Andelaum Campaniæ est, Nasium
olim vrbs gentis Barrensum. Si-
gebertus de illustribus Ecclesiasti-
cis scriptoribus, Leo, inquit, ex
Episcopo vrbs Leucorum, quæ &
Tullus appellatur, nonus huius no-
minis Papa Romanus. Tullo inter
alia oppida diœceseos annamera-

^{Thoul.}

MOSSEL
LA.
Nancy.

tur *Nancium*, Ducis Lotharingie
sedes præcipua, eademque muni-
tissima. Denique fluvius *Mosella*
clarissimam urbem *Mediomatri-*
cum, cui Rex noster imperat, al-
luit, progressusque longius excu-
rit in *Rhenum*.

*Rhodanus, Arar, Isara, &
Druentia.*

RHO-
DANVS
Le Rho-
jne .r.

ARRO in tribus primis Eu-
ropæ fluviiis *Rhodanum* po-
suit, ut *Gellius* cap. septimo libri
decimi testis est. De eo flumine
Vibius Sequester ait: *Rhodanus*
Gallie Lugdunum & Avenionem
decurrens, atque Arelatem mari
Thyrrenomiscetur. At *Julius Cæsar*
libro primo *Commentariorum* de
bello Gallico: *Lacus*, ait, *Le-*
manus in flumen Rhodani influit:
quod verissimè ab eo scriptum
puto, ut ab *Ausonio* hunc ver-
sum.

*Quà rapitur præceps Rhodanus ge-
nitore Lemano.*